M.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-POLITICA
SISTENS

VENEFICIA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS, ET DIRECTORIS
SPECTABILIS
DOMINI DECANI
NEC NON
CL. CL. DOMINORUM PROFESSORUM
IN
ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA
PRO
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI
SUBJICIT

JACOBUS INLÄNDER
Brody-Galicianus.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
minori die Septembris 1841.

BUDAE,
typis Joannnis Gyurian et Martini Bagó 1841.

Virili animo, et in arduis consulere oportet.

Maximilianus Stoll.

Seinem

vielgeliebten Onkel

MORITZ INLÄNDER

aus innigster Liebe, und Dankbarkeit

gewidmet vom

Verfasser.

§. 1.

Veneficii nomine sensu medico-politico, et forensi intelligimus, laesionem per nocivam substantiam hominis sanitati vel vitae infensam; sive proposito, sive fortuito illatam; quam latissimo sensu in externam, et internam discriminamus: hanc si venenata substantia ore assumta, deglutita, et in ventriculum delata, illam, si externis corporis partibus, vel cuicunque demum atrio, dicto excepto, applicita fuerit, subversari dicimus.

§. 2.

Ast majoribus difficultatibus premitur mente medica venenum ipsum succincte determinare, arctioribusque cancellis limitare velle. Observationes castissimae sufficienter reprobant veneni absoluti conceptum, quin imo venena dirissima manu prudentis medici domantur, et in efficacissima et maxime salutaria convertuntur remedia; consvetudine duce homines usum venenorum a parvis inchoantes, magnam venenatae substantiae asuetae dosim sine reactione, citra sanitatis laesionem perferunt; e contra nonullae inter venena haud memoratae substantiae, quae per idiosincrasiam noxios exercere in organismum humanum effectus visae sunt, conatus medicorum maxime laudandos, in succincta definitione veneni desudantium, ad hunc usque diem irritos reddidere. Pro medico forensi sequens definitio maxime adaptata videtur, qua statuitur:

Venenum esse substantiam, quae etiam relative minoribus dosibus, organismo humano quocunque modo, qualicunque atrio applicita, noxios, causticos, et lethales effectus exerere solet, ita ut plenarius substantiae effectus cum vita consistere non possit.

§. 3.

Substantiae quae in rarissimis tantum casibus, et sub peculiaribus circumstantiis noxas inducunt, suum inter venena locum neutiquam invenient *).

Venena largiuntur omnia tria naturae regna, ideo usitatissima, divisio venenorum in animalia, vegetabilia et mineralia. Interim classificatio haec medico forensi minus arridet, vel quatenus venena animalia ad veneficia raro, aut nunquam adhibentur, vel quod venena artificialia et praeparata, quorum analysis desideratur, nulli enumeratarum classium commode accersiri possint **).

§. 4.

Observatio, nonulla venena subito enecare, alia vero lentius id praestare, naturalem venenorum discriminationem non molitur, cum subitanea, vel diutina eorum actio, non

*) Uti Nitrum: sic in uno casu ab unciis duabus veneficium inductum est.

**) Uti aqua Tophana, de cujus proprietatibus auctores multum discrepant; phaenomena, et sequelae hujus veneni ante et post mortem observata, huic rei clariorem lucem non adspergunt. Haller asserit, esse peculiarem arsenici praeparationem. Archenholz opinatur, peculiare connubium opii cum cantharidibus. Halle narrat: Aquam tophanam parari, ex spuma hominum ad naecem cruciatorum ante os collecta. Accedit, quod dosis hujus veneni ita ad mensurari possit, ut pro scopo malevoli, jam citius, jam lentius agat. Forsan praelucente face Chemiae, medicis tandem concedetur in horrenda naturae misteria profundius penetrare.

a conditione et specie veneni porrecti, quam potius a majoribus vel etiam minoribus, ast frequenter repetitis dosibus absumtis, dependeat. Eam tamen medico forensi praebet utilitatem, quod triplex veneficiorum gradus, primus quippe, secundus, et tertius, eidem ut fundamento commode inniti queat, qui, tribus classibus lethalitatis laesionum ad amussim respondent. — Licet medicorum nullum fugiat, quaedam venena externis tantum corporis partibus applicita, compagem organicam inimica ratione, adgredi; quaedam cum internis tantum partibus in contactum imediatum posita, vitam periclitari, multa vero sive externe, sive interne applicita vitae limitem ducendae capacia esse; subtiliorum tamen harum varietatum, medico secus haud spernendarum discriminationes, applicationis suae sphaeram hic loci non invenient, cum pleraque hic pertractanda venena, et externas, et internas organismi partes, aegerrime afficiant. Sedulo tamen hic advertendum, venenorum nonnullorum externorum, siccam praediligere cutim, dum e contra alia denudata prius cuticula organismo insidias struant *).

§. 5.

Pro medico politico forensi utilissima venenorum divisio, diversis eorum effectibus in organismum humanum exerere solitis ut stabili fundamento innititur, qui iterum per phisicam corporis conditionem, ejus quoque actionem et reactionem aliquam patiuntur modificationem.

Omnia venena diverso licet agant modo, diversissimosque licet exerant effectus, in eo tamen omnia conspirare videntur, quod principium vitae inimico modo agrediantur, et fors propior, et verus veneni conceptus hic latet. Inte-

---

*) Sic cantharides, succus laurocerasi, pulvis Euphorbiae agunt in cutim siccam, Arsenicum vitriola et plura alia effectum exerunt inimicum in partes vulneratas.

rim ratio, modusque quo id praestant diversus, exerendi modificatio nonnihil discrepans, diversa producunt symptomata, accurata in intoxicatos attentione directa perscrutanda.

Primam venenorum classem reposcunt venena acria, corrosiva, vegetationem animalem, praecipue systhema sanguiferum summa vehementia adgredientia, et in parte quam proxime contingunt, combustionis processum provocando, inflamationem decursum suum cito absolventem, atque brevi in gangraenam et sphacelum, organisationis destructionem abeuntem producentia: in hac principium positivum, sed sub forma caloris provocant.

Plurima originem suam regno minerali debent, multa e regno vegetabili, aut animali scaturiunt. Plurima venenorum hujus classis ab oxygenio praevalente vim suam hauriunt exitialem, uti acida mineralia concentrata, Butirum Antimonii, sales metallici, et calces, mercurius sublimatus corrosivus, argentum nitricum, acrugo, vitriola varia.

Arsenicum cum mineris eidem affinitate junctis, cobaltum, auripigmentum; cantarides, pulvis Euphorbiae; ab aliquibus mercurius vivus titulo veneni salutatus, a recentionibus omni jure rejectus, noxii effectus internum ejus usum insequentes ab aggregatione optime explicantur, agit enim solo pondere. Eadem prorsus ratione producta vegetabilia multa, principio acri, aut volatili, aut magis fixo, atque resinoso instructa, nec non substantiae quaedam animales, uti Euphorbiae, cantharides, quibus simile principium acre resinosum inhaeret, in organismum animalem agunt.

Substantias mechanice laedentes, uti vitrum contusum, et similia ob similitudinem actionis nonnulli huic adscribunt classi.

§. 6.

Secundae classi accersimus venena stupefacientia seu narcotica, tantum regno vegetabili communia, sensibilitatem

proxime afficientia, hancque directe vel indirecte exhauriendo, huc spectant: acidum Borussicum, duo genera cicutae, Laurocerasus, Lolium temulentum, aconitum napellus, hiosciamus, stramonium, Mandragona, atque una efficacissimum omnium: Opium.

Ad tertiam classem referimus, venena narcotico-acria, quae dupplici corpus animale adgrediuntur effectu: altero irritante, altero sensibilitatem deprimente, huc spectant: fungi venenati, cicuta, belladonna, nicotiana, digitalis purpurea, solanum, et omnium princeps nux vomica ejusque soboles, strichnina et Brussina.

Quartae venenorum classi inserimus: venena exsiccantia, inspissantia, quo pertinet, plumbum ejusque praeparata, sic vina acidula sacharo saturno dulcificantur.

Quintae classi adscribuntur venena, principium vitae, nervorum vim, imediale adgredientia, quo spectant: morsus serpentum venenatorum, uti viperum, crotali horridi, laesio animalium rapacium, iracundorum, canis, luppi, vulpis rabie affecti.

Modus, et viae sibi, aut aliis venenum interne propinandi, innummerae sunt; frequentissime medicaminibus, alimentis, potulentis, electuariis, julapiis, bellariis immiscentur, ad saporem et indolem ingratam corrigendum, obtundendum, raro genuiua absummuntur *).

Veneficia externa in genere simpliciora, applicantur per clysmata ano, per pulverem nicotianae naso, vel forma varia vaginae **).

---

*) Hujus veneficii historiam narrat Valentin: Dominus terrestris hortum suum arboribus frugiferis plenum ab puerorum petulentia, pomis, pyrisve insidias struentium defendere volens; fructus illinit unguento ex axungia porci et helleboro, pueri non obstante sapore ingrato poma furantur, aliqui eorum in gravissimum morbum inciderunt.

**) Memorabilis simulque horrenda historia est sequens: Rusticus Finniae uxores suas tres arsenico cum farina in pastam redacta, et post coitum in vaginam immissa e vivis sustulit.

§. 7.

Phoenomena venenorum primae classis plus minusve intensa pro diverso veneficii admissi gradu sunt. Veneficium primi gradus enecat hominem inter symptomata dirissima, primis viginti quatuor horis aut citius aut tardius ad diem sextum.

Virtute sua caustica excitant in collo, ardorem vehementem, paulo post lypothymiam, gastralgiam, cardialgiam, dolores atroces lancinnantes, ardentes totum tractum intestinalem occupantes, vomituritiones continuas, vomitum, diarrhoeam cruentam, inquietudinem, anxietatem, inflammationem, convulsiones, deliria, gangraenam, faciem collapsam, sudorem frigidum, et tandem mortem. In cadavere primi grudus conspicimus; istmum faucium inflammatum vel excoriatum, ventriculum aut inflammatum, aut in pluribus locis sphacelescentem, membranas ejus contractas, incrassatas, vasa sanguine turgida, cardiam et pilorum spasmodice quasi contracta clausa, tubum intestinalem reliquum inflammatum et gangraenosum hinc inde spasmodice coarctatum, pulmones sanguine plenos, maculis nigris hinc inde notatos, cor sanguine atro resoluto fluido scatens, cutim maculis lividis notatam. Subinde reliquiae absumti veneni in fluido seroso, vel sanguine hinc inde natantes majori vel minori copia reperiuntur. Minoris intensitatis, et minus in sensus incidentia sunt symptomata, et mutationes in cadaveribus intoxicatorum secundi gradus inducta venenis corrosivis:

Vomitus, lypothymiae, atque virium prostratio hominem exercent per 5—9 dies. In cadavere ventriculum leviter inflammatum, parumque absumti veneni continentem, hepar utplurimum flavum, gangraenosum; in corde, pulmonibus vestigia gangraenae conspiciuntur. In tertio gradu, phoenomena sunt mitiora, periculum vitae illico non minatur, atque sanitatis recuperatio congruis remediis possibilis, aegroti tamen doloribus variis crucientur, et symptomatibus morbo-

sis dispulsis libentér exanthemata et alia cutis mala remanent. Peculiaria plane singularia symptomata exercent homines arsenico et corrosivo intoxiccatos, hinc phoenomena venenorum horum absumptorum insequentia specialius pertractantur. — Arsenicum in primo gradu, celerrime inducit inflammationem ventriculi, et intestinorum in gangraenam admodum nitentem cum reactionibus primarum viarum dirissimis. — Aliquot a morte momentis omnis fibrae nerveae irritabilitas est deleta, maximaque cadaveris in putredinem propensio, quae phoenomenis quibusdam durante vita se annunciat: defluvio nempe capillorum, maculis lividis, violaceis cutim praecipue in abdomine et circa partes genitales obsidentibus, livore unguium, haemorrhagia sanguinis venosi resoluti e naribus, ore, ano, et vagina; intumescentia cadaveris insigni, et foetore intollerabili.

In cadavere sequentia reperimus: Cutim universam corii instar induratam, cadaver totum mumiae instar exsiccatum, musculi corrugati, textus quoque cellulosus induratus conspicitur. In cavo cranii vasa sanguine nigro spisso oleoso, resoluto, turgida observantur, in cavo thoracis, cor et pulmones corrugati contracti advertuntur. — In cavo abdominis ventriculus et intestina inflammata pluribus in locis gangraenosa, praecipue iis, quibus arsenici particulae membranarum villis incuneata haerent, intestina ipsa nec non omnia abdominis viscera mollia, sanguine atro liquido turgida facillime laceranda reperiuntur.

Arsenicum venenum mirificum, quod partem organicam in resolutionem determinat, mortuam vero a putredine deffendit, et in cadaveribus majoribus arsenici quantitatibus intoxicatorum intestina in substautiam spermatoceti similem, ast formam pristinam adhuc referentem conversa conspiciuntur, ipsumque arsenicum pluribus a morte annis adminiculis chemicis oculo sisti potest. — In gradu toxicationis secundo, symptomata eadem, ast numero et extensione pauciora advertuntur. — In gradu tertio, si venenum dosi minima, for-

ma dilutissima e. g. vaporis sive in-sive externe longiori tempore applicitum fuerit, vires vitales exhaurit, initio forma spasmorum et convulsionum, tandem forma paralyseos, phtisis aut hidropis in conspectum prodit, ultimo, marasmum metallicum, apoplexia nervosa vitae scenam claudentem inducit.

§. 8.

Mercurius sublimatus corrosivus, sequentia producit intoxicationis phoenomena; in primo gradu: saporem ingratum metallicum, ardorem faucium et ventriculi, deglutitionem difficilem, nisum vomendi continuum, tum vomitum violentum materiae sanguinolentae, alvum sanguinolentam, dolores intestinorum et ventriculi dirissimos, glandularum salivalium tumorem, phtyalismum, dentium vaccillationem, anxietatem, respirationem difficilem, pulsum parvum citatum, sudores frigidos, convulsiones, tandem mortem. In cadaveribus notantur: Oesophagi, ventriculi et intestinorum inflammatio, humeri, et regiones inguinales nigro maculatae colore. Ventriculus tenet liquorem gelatinosum, parietes exhibent maculas rubras, lividas nigricantes. Renes sunt inflammati, vesica urinaria vacua.

In secundo gradu, symptomata et extensione et numero restricta deprehenduntur.

In tertio gradu dosi minima, forma dilutissima, tempore longiori corrosivus porrectus, clandestine vires suffodit, inducitque pro diversa dispositione hidrargirosim chronicam, in aliis phthisim pulmonalem ulcerosam, in aliis hidropem, in plerisque tabem siccam, marasmum, metallicum forma spasmorum, convulsiónum aut paralysium mercurialium comparentem, qui status etiamsi morti parcant, vitam tamen parant miserrimam.

§. 9.

Phoenomena usum venenorum narcoticorum primi gradus insequentia, sunt: peculiaris species ebrietatis, vertigo,

somnolentia, sensuum externorum, inprimis visus obnubelatio, stupor, perversio varia, functionum mentis abolitio, inquietudo, anxietas, respiratio tarda, anxia, pulsus debilis tardus intermittens, musculorum debilitas, evacuationes involuntariae, lypothimia, liquatio universalis, convulsiones et mors.

In cadavere reperimus: cardiam et pilorum spastice contractum, intestina subinde leviter inflammata, sanguinem, hepar et lien putredine correpta, in genere cadavera citissime putrescunt. In secundo et tertio gradu mitiora et minus intensa symptomata aegros exercent.

§. 10.

Mortem, magna opii quantitate ingesta, causatum, specialia characterisant symptomata:

Resolutio sanguinis magno in gradu, ita ut in cadaveribus fluidus quoque reperiatur, cadaver maculis, et vesiculis gangraenosis notatum, ventriculus maculis nigris tinctus, vasa encephali omnia turgida, sanguinem resolutum tenent.

In secundo et minus intenso gradu, et si venenum adhuc mature arte, vel natura evacuatum fuerit, vel si minori dosi ingestum erat, infelix pertinaci, rebelli, ac incurabili alvi constipatione, ex paralisi intestini recti ortum ducente, perit. Diversitas horum phoenomenorum, ut fundamento, modificationi virium vitalium in diversis subjectis innititur.

§. 11.

Venena narcotico-acria effectu primario vasorum sanguiferorum incitationem, caloris animalis productionem augent, hinc rubor, turgorque faciei, oculorum, sensuum animique grata exaltatio, subinde furor magnam eorum quantitatem absumtam insequuntur. Effectum huncce primarium per determinatum temporis spatium extensum, excipit secundarius: qui, per sensibilitatis stuporem, motus organici universi torporem, sensuum hebetudinem, vertiginem, temu-

lentiam, stupiditatem, somnolentiam, musculorum imbecillitatem, tremorem, spasmos, convulsiones, pulsuum languorem, respirationis difficultatem, secretionum et excretionum suppressionem, hinc inde etiam profusiones nimias manifestus fit. —

Cadaver brevi a morte, irritabilitatem exstinctam, carnem laxam, sanguinem quoque resolutum, et magnam in putredinem propensionem ostendit, ipsum cadaver offert symptomata ex acribus et narcoticis mixta.

§. 12.

Venena adstringentia, exsiccantia varia comitantur symptomata pro varia veneni assumti quantitate. In primo gradu per acrimoniam praeparatis plumbi propriam, irritant fibram organicam, eam contrahunt, vasaque omnis generis obturant, in altissimo gradu colicam excitant inflammatoriam, inflammationes mesenterii, hepatis, lienis, et pulmonum. Vino sacharo saturno adulterato solennia haec symptomata.

In secundo gradu colicam sic dictam pictorum, seu saturninam plumbum inviat, quam designant: dolores colici pertinaces, constringentes, contorquentes cum abdomine retracto, umbilico columnam vertebralem ferme contingente; pertinax alvi obstructio, si quae succedit, excrementa sunt sicca, globosa, atra; appetitus próstratus, oris siccitas sitim excitans, pulsus durus tardus contractus, secretionum omnium suppressio. In tertio gradu, ubi plumbum dosi minima, forma dilutissima longiori tempore organismo infertur, glandulas meseraicas, vasaque lactifera obstruit, tabescentiam singularem successive increscentem nevrosi stipatum inducit, nempe: pulsum tardum, durum, cutim asperam tumidam, contracturas artuum, noctu dolentes, respirationem difficilem, tussicula sicca copulatam, febrim depascentem, animi summam dejectionem, anxietatem, lypothymias, spasmos diversi generis, convulsiones artuum, paralyses, habitum marcidum, tabemque lethalem (Marasmum). In cadaveribus

magnis plumbi dosibus peremptorum adsunt symptomata inflammationis mesenterii, hepatis, lienisque. In minori gradu citra inflammationem adsunt stricturae, intestinorum, praecipue coli et recti, quae excrementis siccis, scibalosis, pillularibus plena sunt.

§. 13.

Quaestio hic loci maximi momenti enodanda venit; quae ergo sunt criteria diagnostica decretoria, viam tulissimam sternentia ad depromendum judicium? fuerit ne in homine symptomatibus intensioribus suspicionem reapse moventibus vexato, citra omne dubium venenum? et in specie quale propinatum? Symptomataque enumerata an non etiam ab aliis organismum affligentibus morbis repeti queant?

Huic reponimus: symptomata enumerata, veneficio peremptorum ante mortem, dataque obductionis post mortem — demptis casibus, ubi venenum in ventriculo vel quacunque corporis parte invenitur — speciatim vero veneficia secundi gradus verosimilia quidem praebent signa, ast sufficientia, inconcussa, et decretoria veneficii comissi argumenta nequaquam substernunt. Veneficiorum igitur detectio non raro magnis premitur difficultatibus, quoniam ad certitudinem phisicam obtinendam, venenum assumtum oculis sisti deberet, cujus defectus obducentem possibilitate, celatum veneficium argumentis phisicis demonstrandi privat. Combustio cadaveris, destillatio intestinorum, et viscerum ad veneficium a pluribus annis commissum dignoscendum in rarissimis tantum casibus applicationis sphaeram nanciscitur. — Igitur substantiae in ventriculo et intestinis repertae, chemice quoad proprietates suas examinari, et inquiri debent, ut non tantum illucescat an reapse venenum? sed etiam ut appareat in spesie quale assumtum fuerit venenum? Ad specialiora igitur descendere, atque investigationem diversorum venenorum in specie expedire, et resultata certa deducere oportet.

§. 14.

In omni praegressi veneficii casu, exactissima ventriculi et intestinorum investigatio fieri debet. Hoc scopo, ventriculus ad cardiam et pylorum dupplici vinculo deligatur, atque oesophagus et duodenum utrinque inter duas ligaturas rescinduntur; omenta separantur, et exemptus ventriculus vase idoneo, obsigillando ac signando pro ulteriori investigatione asservatur. Eadem ratione tubus intestinalis supra, infraque deligatus rescinditur, distincto vase aeque obsigillando et signando, reponitur. —

Prius quam interna ventriculi et intestinorum suscipitur investigatio; substantiae in iis contentae chemicae investigationis scopo sollicite eximendae et conservandae sunt. Sub ipsa horum organorum pervestigatione advertendum; an vasorum turgor, partium inflammatio, aut gangraena, utrum intestina hic ibi constricta, arrosa, aut perforata, incrassata, aut corrugata, aut emollita sint? Substantiae minera'es in ventriculo et intestinis, aut in frustis majoribus, aut minoribus, aut in forma pulveris inventae, juxta artis regulas chemice investigandae; sed si in liquidis organorum dictorum nulla talia corpora discerni quirent, ipsa haec liquida investigationi chemicae subjicienda, quotiescunque symptomata mortem praecesserint, intoxicationem veneno metallico perpetratam suspicantia. —

Crudae autem vegetabiles substantiae, semidigestae, relate ad figuram, colorem, odorem, cohaesionem, solubilitatem, et alias qualitates, in quantum admittitur, sedulo pervestigandae unaque determinandum: utrum inventa talis substantia plantae alicui acri, narcoticae, aut narcotico-acri sapore odore similis? an symptomata in denato observata, et phoenomena in cadavere occurrentia virtuti plantae venenatae verosimilis magna quantitate assumtae, quodammodo correspondeant. —

In casibus vero dubiis, ubi penes majorem probabilitatem de suscepto vegetabili nulla talis substantia in ventriculo,

aut intestinis reperitur; aliquid de exempta e ventriculo et intestinis cadaveris materia, animali cuidam devoranda porrigitur, ut effectus tentamine innotescant, habita tamen solerti ratione discriminis, hominis et bruti naturam intercedentis.

§. 15.

In omnibus porro veneficii casibus, non tantum contenta ventriculi et intestinorum, sed aliae quoque de veneno suspectae substantiae, exactius investigari, et chemicae analysi subjici debent. Hoc scopo sequentia respicienda:

A) Substantia forma pulveris in ventriculo et intestinis reperta, a parietibus horum organorum sollicite deradenda, colligenda, vitro excipienda, obsigillanda, et Nro I. signanda.

B) Cum fluidis et pultaceis substantiis in ventriculo et intestinis repertis idem fit et Nro II. signatur.

C) Etiam aqua, qua ventriculus et intestina abluta fuere, colligenda, et pro investigatione ulteriori conservanda Nro III. signanda.

D) Ea quae intoxicatus ante mortem, vomitu rejecit, sollicite colligenda, et Nro IV. notanda.

E) Sollicite praeterea indagandum, an venenata quaedam substantia, in hominis intoxicati domo alicubi reperiri non possit, talisque inventa, dicto modo conservanda, et Nro V. signanda. — Ut chemicae analyses debite instituantur, diversa adminicula, et versata in arte chemica manus requiritur, praestat ut investigationes chemicae per Pharmacopaeum a concernente foro provocatum, sub directione Phisici, et testis legalis inspectione fiant. Praecipuum autem chemicae investigationis objectum, in omni casu constituunt, substantiae memoratae sub Nro I. II. et III. notata; in horum defectu liquida sub Nro IV. et V. signata, investiganda. — In casibus dubiis sanguis et urina denati, bilis praecipue, in qua frequenter veneni in corpus delati vestigia reperiuntur, analysi chemicae subjicienda sunt.

In Arsenicum sequenti inquirimus ratione:

1-mo) Liquores inventi Nro II. notati immediatae subjiciuntur investigationi, vel evaporati cum nitro detonantur.

2-do) Pulveres solvuntur acido nitrico puro ebullitionis ope, usque dum solutio flavescat, dein satnratur cum Kali caustico.

3-tio) Ventriculus coquitur cum lapidis caustici drachmis tribus, et aquae comunis libris tribus per horas tres filtrata solutio saturatur acido nitrico, iterumque filtratur. Tres hae solutiones pari subjiciuntur investigationi.

1-mo Ad affusum acidum hidrothionicum praecipitatum citrinum oritur, praecipitatum siccatum cum ana Kali carbonici, et dimidio carbonis candefactum arsenicum metallicum sublimat. —

2-do Liquidum cum solutione saturata calcis cupricae in amonia caustica, vel sulfate cupri ammoniacali misceatur, si liquor hialinus cyaneus conspicitur, arsenici nullum vestigium adest; pulvis flavo-viridis (viride Schelianum) e solutione secedens, prunis candentibus inspersus vaporem album eructans, allium redolens arsenicum evincit.

3-tio Aqua calcis recenter parata, et calide adhibita dat praecipitatum album, quod siccatum cum dimidia acidi boracici et una quarta parte carbōnis candefactum, sublimat arsenicum metallicum.

4-to Sulfas cupri ammoniacalis dat praecipitatum pomaceo viride.

5-to Praecipitata cum aqua calcis, cum sulfate cupri obtenta, siccata et super lamina cuprea calefacta, evolvunt vaporem album chalibem desuper servatum halitu albo investientem, odoris alliacici. —

6-to Arsenicum cum 4 sulphuris partibus tritum, et sublimatum in arsenicum rubrum seu Realgar vertitur.

7-mo Quatuor partes limaturae cupri cum parte Arsenici in crucibulo tecto ustulatae, frustum fusi metalli albi coloris consveta cupri rubedine destitutum relinquunt.

8-vo Si quantitas adinventae substantiae suspectae id admittit, reductio arsenici in statum regulinum, tamquam criterium certissimum, nunquam negligenda.

9-no Reductio metalli decretoria peragitur: si praecipitatum in retorta parva in balneo arenae candefit: intus sistit vitrum sublimatum, aut pro se, aut ad minimum post tritum cum charta splendoris metallici, quod in contactu aëris candefactum vapore volatili albo, odoris alliacei abit.

§. 16.

Mercurii sublimati corrosivi praesentiam sequentia evincunt. mercurius sublimatus corrosivus characteristice quidem reagit; ast quantitates parvae deglutitae in humoribus haud inveniuntur, membranae tamen faucium, ventriculi et intestini duodeni cum aquā destillata coctae liquidum praehent reagendum.

1-mo Solutio syrupum violarum viridat, chartam lacmus ruffat.

2-do Praecipitatur ex solutione, Kali carbonico profunde lateritio colore.

3-tio Praecipitatur aqua calcis, colore initio rubello — flavo, tandem flavo — vitellino.

4-to Praecipitatur amonia caustica colore albo.

5-to Praecipitatur tempratura altiore colore flavescente.

6-to Praecipitatur Ammonia hidrothionica colore profunde albo - griseo, tandem nigro. —

7-mo Praecipitatur Nitrate argenti colore albo, forma floccoso caseosa (Luna cornea).

8-vö Ad immersam cupri laminam intra tres horas deponit cuticulam, quae chartae ope trita exhibet metallum regalinum splendens album.

9-no Mercurius sublimatus corrosivus siccus pro se sublimatur.

10-mo Siccus super lamina cupri candefactus emittit vapores albos, absque odore alliaceo.

11-mo Reductio decretoria mercurii vivi effectuatur: si pulvis siccus, aut solutio ad siccum spissata, cum medio pondere Kali carbonici e retorta candefacta in excipulum frigidum, destillatum dat, qnod alcohole ab oleo empyreumatico ablutum exhibet mercurium vivum.

12-o Praecipitatum aqua calcis obtentum, et destillatum, globulos quoque mercurii sistet.

13-o Humores ventriculi, et membrana hujus mucosa, cum acido nitrico cocta, cum Kali saturata, et destillata mercurium vivum aeque sistunt.

§. 17.

Aerugo ipse ad intoxicationes raro adhibetur. sed contingunt veneficia casu, per cibos potusque, imprimis acidos, qui per longiorem in vasis cupreis asservationem, aliquid substantiae metallicae resoluti continent. Si tamen suspicio veneni hujus propinati moveretur sequenti modo investigatione procedendum:

In solutionibus semet prodit sapore summe adstringente, ingratissimo, aut qua pulvis viridis vel coerulescens, in tunica mucosa ventriculi et intestinorum, quae separata, candefacta in acido nitrico soluta colore viridi solutionem tingit; e solutione sua nitrica praecipitatur:

1-mo Per Kali causticum initio viridi, tandem coeruleo colore.

2-do Per ammoniam causticam colore viridi, ast excessu, azureo colore redissolvitur;

3-tio Per alcalia carbonica colore dilute viridi; solumque Kali, et Natro carbonicis excessivis redissolubile;

4-to Per lixivium sanguinis colore fusco-rubro;

5-to Per tincturam gallarum colore fusco;

6-to Per acidum hydrothionicum (liberum, aut ligatum) fusco-nigro.

7-mo Per salem acetosellae colore coeruleo-albo.

8-vo Si in acido muriatico solvatur, et amonia caustica instilletur initio qua calx viridis praecipitatur cuprum, per ulteriorem vero alkali volatilis adfusionem redissolvitur, liquoremque pulcherrime cyaneam largitur, praemisso supposito, arsenicum solutioni non infuisse.

9-no Lamina ferri polita solutioni immissa cuticula cuprea obtegitur Reductum sistitur:

10-mo Per Zincum, stannum, cuprum aeque metallice.

11-mo Per Phosphorum suspensum initio nigro-griseum, metallice splendens, tardius vero pulchre fusco-rubrum, metallicum largitur. —

Praecipitata sub numeris primis nominata cum natro sub tubo ferruminatorio sistunt metallum regulinum rubrum splendens malleabile, acido nitrico facile solubile.

§. 18.

Sulfatis Zinci praesentiam sequentia indicant:

1-mo Praecipitatur e solutione per carbonatem kali colore albo, excessu iterum redissolvitur, solutio a praecipitato filtri ope separata largitur Arcanum duplicatum.

2-do Praecipitatur aeque per carbonatem amoniae, non tamen redisolvitur excessu.

3-to Per lixivium sanguinis colore albo.

4-to Per hidrothionatem Kali, vel natri albo quoque colore.

Praecipitata haec addito carbone in candescentia forti destillata, reducuntur in metallum coeruleo-album, quod calide malleatum parumper diducitur, et sub tubo ferruminatorio ardet flamma coeruleo-alba, luceque vividissima. —

Praeparata Antimonii sequenti ratione innotescunt:

Solutiones sapidae tenent vel butyrum antimonii, vel tartarum emeticum, atque characteristice reagunt. Pulveres insipidi non solubites, albi, flavi vel rubri solvuntur acido muriatico ebulliente, quo e croco, sulfure aurato antimonii,

atque kermete minerali separatur sulfur, quod in crucibulo calefactum volatile, evolvit odorem sulfurosum. —

Ex solutione muriatica praecipitat:

1-mo Aqua destillata praecipitatum album, tartaro solubile.

2-do Acidum hidrothionicum, aurantiacum.

E solutione aquosa praecipitat:

1-mo Aqua calcis graecipitatum album, acido muriatico facile solubile.

2-do Acidum hidrothionicum aurantiacum.

3-to Infusum gallarum praecipitatum copiosum sordide album, in flavescentem tendes.

4-to Decoclum Chinae flavae graecipitatum dat, rubello-flavum. Reductio metalli decretoria peragitur: Tartarus emeticus sine additamento; praecipitatum aurantiacum vero cum pauco carbone et Kali, aut fluore nigro in candescentia rubra reducitur in metallum splendens, albo-griscum, quod igne aperto emittit vapores albos, absque odore alliaceo, vicinis albo colore se adponentes, ubi ab ammonia hidrothionica aurantiacum contrahunt colorem.

§. 19.

Vinum sacharo saturno adulterum, per probam Vürtenbergicam, ex arsenico et calce viva constantem, per attramentum sympateticum, optime per liquorem probatorium Hannemani detegitur; certa quoque vini quantitas evaporata, et residui per pulveres carbonum in plumbum regulinum reductio, certissimum sistit detectionis criterium. —

In solutiones plumbi nauseoso-dulces adstringentes; in pulveres repertos, acido nitrico solvendos sequenti ratione reagimus:

1-mo Alcalia caustica praecipitant plumbum colore albo, praecipitatum per carbonatem amoniae siccatum flavescit.

2-do Lixivium sanguinis colore albo; —

3-to Tinctura gallarum, stramineo-flavo colore;

4-to Acidum hidrothionicum nigro colore;

5-to Acidum sulfuricum vel sal glauberi producunt praecipitatum album per acetum non solubile.

6-to Si ad affusum acidum sulfuricum aceti vapores evolvantur adest sacharum saturni. —

Praecipitata cum carbone et Kali sub candescentia incipiente dant regulinum plumbum, coeruleo-album mallealile, facile solubile in acido nitrico, nec per aquam inde praecipitandum. — Barytae proprietates venenatas nonulli adscribunt; ast sulfatem, et muriatem Barytae, ni excessive magna dosi summantur innocua esse, hucdum evictum est. Nonnulli a carbonate Barytae proprietates venenatas observasse praetendunt, probabiliter arsenico inquinata erat. —

Lapidis infernalis praesentia actione peculiari in cutem, et reductione argenti dignoscitur, voluntarie ad veneficia rarissime adhibetur.

§. 20.

In intoxicationibus per venena narcotica si substantia chaotica, ex radicibus, foliis, baccis, vel aliis fructibus in ventriculo commixta adinveuiatur, tunc ex characteristicis notis diagnosis veneni depromitur. — Si autem substantiae hae per organa digestionis mutatae, formam externam amiserunt, argumenta phisica mortem veneno consummatam indicantia, deerunt. Inquisitionem tamen nunquam negligimus: digeritur quippe liquidum ventriculi cum aceto destillato, dein coquitur cum magnesia usta, aut miscetur ammonio caustico; praecipitatum obortum aqua ablutum et siccatum cum alcohole excoquitur- — Solutio spirituosa tenet Morphinam, quae oculo animalis vivi penicilli ope immissa ejus mox pupillam dilatat; leni evaporatione crystallos sistit aciculares, ab acido nitrico rubrum contrahentes colorem. — Venena narcotica tria: hioscriamus, belladonna, stramonium investigantur sequenti ratione: ventriculus et intestina coquantur cum aqua, solutio evaporetur ad consistentiam extracti, cujus so-

lutio concentrata penicilli ope oculo animalis vivi illiniatur; pupillae dilatatio notat venenum narcoticum hujus seriei. Historia morbi praegressi per medicum ordinarium caste relata, decursus ejus, quid adhibuerit, quid vomitu rejectum fuerit, qualia symptomata aegrum exercebant, rei obscurae lucem aliquam adspergere valent; chemismus in metallicis toxicationibus, secus summe venerandus, nil securi hic promittit. — idem quoque notandum, si intoxicatio per substantias fluidas, uti per acidum sulfuricum, muriaticum, nitricum, oleum lauro-cerasi, aquam tophanam, et similia causata fuisset, vel si per copiosum haustum aquae substantia venenata acris, valde diluta fuerit; in similibus rerum circumstantiis, possibitate, vel ad summum probabilitate medicus politicus contentetur, certitudine enim hic nunquam gloriabitur; exceptis casibus ubi acida memorata larga quantitate absumta fuerint, sic ab acido sulfurico: in vivo labia et cavum oris nigra, os spuma tenaci plenum conspicitur; adest faucium, ventriculi, et intestinorum dolor ardentissimus, copiosa muci tenacis fusco-rubri, saporis attramenti exscreatio, abdominis sensibilitas magna, pulsus parvus spastice contractus, pectus oppressum, respiratio difficilis, frigus partium externarum, debilitas, inquietudo, facies peculiariter mutata spasmis distorta. — In cadavere deprehendimus: Epiglotidem arrossam, induratam, fauces nigricantes, ventriculum rubro aut nigro maculatum, resolutum et arrosum, sanguine aut liquido, fusco foetido repletum. Acidum sulfuricum qua tale raro invenitur in cadavere, potius in muco rejecto, aut qua residuum absumti. — Praecipitat:

1-mo Nitratem barytae et argenti copioso colore albo, forma granulosa, praecipitatum Barytae non redissolvit.

2-do Cum creta effervescendo, format sendimentum album, gypsum. —

3-tio Cum Muriate Magnesiae, effervescendo, format salem amarum, aqua facile solubilem saporis amari.

4-to Neutrales acidi sulfurici ex. gr. cum Kali pracipitant sales Barytae, plumbi, Argenti. —

Acidum nitricum substantiam organicam quacum in immediatum venit contactum, flavo signat colore, ideo os, fauces flavae conspiciuntur, epidermis flava, facile separanda, ventriculus inflammatus exesus, effusio liquoris flavi, floccis albis intermixti, iutestina flavo - maculata, plena stercore duro, adnotantur.

§. 21.

Veneficiis porro ad numeramus haustus varios ad nonnullorum affectnum stimulos inflammandos, nti amoris, odii, furoris, ad effectuandam sterilitatem, huc spectant: poculum amoris, seu philtrum, poculum odii, furoris, et sterilitatis, propinatos. — Quod ultimum concernit, scientia medica nullo gloriatur remedio, quod virum potentia generandi, foem nam vero facultate concipiendi privare queat; nam organis generationem concernentibus illata violentia, sterilitatem causare valens, laesionibus mechanicis adnumeranda potius venit. — Pocula amoris superstitionis soboles, nil aliud sunt, quam substantiae narcoticae calefacientes ad excitandum (ubi suspicabatur) amorem porrectae, ejus vices tamen potius sanitatem subvertunt, mentis facultates opprimunt, maniam, et furorem inducentes. — Veneficiis non minus adnumeramus: adulterationes et malas praeparationes cerevisiae, panis, casei etc. nec non curas medicastrorum et agyrtarum; incautam intensius agentium remediorum, titulo domestico salutatorum applicationem, remediorum in formulis medicis consignatorum commutationes, erroresque determinatum pondus concernentes a pharmacopaeo commissos.

§. 22.

Aptissimo denique et maxime congruo loco mortis fame inducti mentionem hac occasione fecisse juvabit. — Dupplici modo contingere potest: vel subito, corpore secus sanissimo,

si nempe casu fortuito eveniat, ut homo cibo potuque per 15-19 dies, penitus carere debeat *); mortis haec species apud nos rarissima, eo frequentior autem per successivam alimentorum et potulentorum, ad nutritionem, et incrementum corporis necessariorum subtractionem, haec mortis imago infantibus tenellis minatur, sistit speciem tabescentiae.

---

*) Casum hujus rei summe memorandum narrat Tulp. Septem Angli ab insula Sti Christophori, distractionis causa conscendunt cymbam, itineri maritimo unius diei distantiae semet accingentes; alimentis ad 24 horas se provident. — Ast orta procella eos in vastum pelagus circumagit, atque per 17 dies, cibo potuque omni destituuntur. Infelices inter se sortiuntur, quis reliquis cedat in escam, ad vitam sociorum miseram conservandam. Ast caro, sanguisque sorte necati, corrupta et putrida detegitur; duo taedio et nausea correpti, semet in mare praecipites agunt, reliqui exhausti littoribus alliduntur, ast fomite morboso praegnati difficilime morti evadunt.

Theses Defendendae.

1

Symptoma diagnosticum decretorium, veneficium in specie characterisans nullum datur.

2.

Metalla sunt motores galvanismi et electricitatis.

3.

Nervi sunt organa motus et sensus.

4.

Ergo metallum est id in anorganicis, quod nervus in organicis.

5.

Perfectioni medicinae, et famae medicorum nihil magis obstat quam diversitas theoriarum multum exaggeratarum.

6.

Medicus dignissimus naturae scrutator.

7.

Infectio sanguinis per contagia admitti non potest.

8.

Stimulus per narcotica, et frigus inductus mere negativus est.

9.

Symptomatum absentia non semper morbum sublatum arguit.

10.

Causa proxima infantem recens natum ad primam respirationem vocans, est vita ad altiorem potentiam elata.